

stius mihi videtur, atque Hebræis quoque & ipsi Jo-  
bo usurpatum. Adjicio quoque antiquum aliquod  
scripturæ genus lapidi incisæ, supra januam templi in  
Villa Thuringiæ in Comitatu Glichensi vetustissimo,  
quo loco etiam S. Bonifacius sæpe versatus; locus is  
hodie dotalis factus Academiæ Jenensis. Videor  
mihi vestigia quædam de Ludoviciana divisione re-  
gni inibi deprehendisse, sed necdum satis mihi facere  
possum: non sunt literæ singulares, aliàs enim al-  
phabetum foret ad centum literas: undè nec inter  
secreta Caroli M. alphabeta referri poterit hæc scri-  
ptura, de quibus mentionem ex Otrfridi Grammati-  
cis fecit Trithemius in Polygraph. lib. ult. p. m. 589.  
nisi præter alphabeta & alios characteres invenerit  
Carolus siglis similes, quales hîc observare videor  
mihi, atque idem Trithemius in repetita editione  
MS. quam Lambecius l. 2. Bibl. c. 5. p. 463, laudat, ait:  
Otrfridum & alios quosdam characteres interseruisse,  
quibus Carolum in arcanis usum fuisse idem dixerit.  
Sed quàm malè actum cum antiquitate nostræ gen-  
tis, quod nec Caroli nec Otrfridi institutiones Gram-  
maticæ, in tanta chartæ vilitate & inventa arte Ty-  
pographica, posteris servatæ. Anne quæso in Vestri  
S. Ordinis Archivis, quibus ille πολλῶν ἀντάξις ἄλλων,  
illa fragmenta Caroli & Otrfridi, itemque Keronis  
integra translatio Regularum Vestrarum, reperitur.  
quàm malè mernit de republ. literaria & lingua impri-  
mis Alemannica Goldastus, qui maluit istud tale quale  
Glossarium conficere, quàm integrum textum im-  
primi facere. Tu verò Vir perreverende & Clarissime  
vale & censuram adhibe rigorosam, quæ balsamum erit  
capiti meo. Dab. Argentorati, 9. Mart, M DC XCII.